

auctis, flosculis flavis involucri duplò longioribus, acheniis demùm atrorubris elliptico-linearibus utrinquè attenuatis compressis multi-striatis apice subscabridis rostro eis æquilongis vel subbreviori terminatis, pappo caducissimo.

Hab. in alpe *Kuh Delu* Persiæ australis Kotschy N° 506 et 506 a et in monte *Totschal* Persiæ borealis Kotschy N° 556.

Planta 2-3 pedalis foliis et habitu *L. scariolam* omninò referens quæ eximiè differt ligulis involucrum vix superantibus, acheniis minoribus minùs compressis sesquilineam nec 2-2 $\frac{1}{2}$ lineas longis rostro eis longiori nec breviori terminatis, pappo non caduco.

ZOLLIKOFERIA TENUILOBA Boiss.

Z. annua glabra glaucescens, caulibus a basi dichotomè divaricatim ramosis, foliis radicalibus elongatis linearibus pinnatipartitis rachide lineari denticulatâ laciniis longis lineari-setaceis integris albo-mucronulatis, caulinis superioribus triangularibus acutis dentatis basi auriculatis auriculis minutis obtusis denticulatis fissisque, capitulis longiusculè pedunculatis laxè corymbosis, involucri glabri phyllis pallidè livescentibus adpressiusculè imbricatis infimis ovatis albo-acuminatis interioribus lanceolatis, ligulis luteis subtùs lividis involucrum breviter superantibus, acheniis lineari-subquadrangulis tenuissimis multi-striatis exterioribus minutissimè puberulis interioribus glabris lævibus, pappo achenium æquanti.

Hab. in *Arabia petrea* Palæstinæ conterminâ (Boiss.) in Syria littorali propè *Tyr* (Pestalozza).

Species a *Z. mucronatâ* Boiss. earundem regionum oriundâ distinctissima caulibus a basi dichotomè ramosis nec a medio paniculatis, foliorum divisionibus primariis longis tenuibus integris nec iterùm pinnatis, ligulis subtùs discoloribus, achenia quoque magis striata esse videntur. *Z. chondrilloides* nostræ habitu magis affinis differt rhizomate perenni indurato, phyllis inferioribus obtusis, acheniis 4 striatis, etc.

CYMBOSERIS Boiss.

Capitulum multiflorum. Involucri basi breviter calyculatum phyllis sub anthesi planis enerviis post anthesin dorso valdè incrassato inflatis

induratis spongiosis extùs carinato-convexis intùs cymbiformibus. Receptaculum nudum. Achenia dissimilia disci calva compressa latè bialato-subtriquetra facie exteriori sensim prominenti carinata interiori convexa subcymbiformia involucri phyllis arcè incumbèntia. Achenia radii cylindrica striata a basi subcalloso-incrassatâ cavâ ad apicem usquè sensim subattenuata papposa. Pappus pilosus albus mollis tenuissimus multiserialis achenio brevior persistens. — Herba annua Palæstina facie *Phæcasii* sed omnibus partibus major.

Genus a *Crepide*, *Endopterá* generibus affinibus acheniis exterioribus calvis compresso-bialatis extùs triquetris intùs convexis nec ut in *Crepide* conformibus cylindricis nec ut in *Endopterá* intùs unialatis nec ut in *Pterothecá* intùs 3-5 alatis receptaculoque omninò nudo distinctissimum.

CYMBOSERIS PALÆSTINA BOISS.

C. annua brevissimè papillari-hirtula, caule erecto tereti folioso supernè ramoso corymboso-paniculato, foliis lætè viridibus teneris inferioribus in petiolum attenuatis runcinatis lyratis segmentis lateralibus parvis ovatis triangularibusve terminali maximo ovato obtuso basi subcordato grossè et acutè lobato-dentato, foliis intermediis runcinato-lyratis medio angustatis basi-dilatato-amplexicaulibus, superioribus e basi latè et rotundatim cordato-amplexicauli ovatis vel oblongo-lanceolatis acuminatis, rameis e basi lineari setaceis, capitulis pedunculis longis erectis nudis suffultis, calyculi squamis 5-6 ovatis acutis albomarginatis adpressis involuero quadruplò brevioribus, involucri phyllis subbiseriis æquilongis sub anthesi linearibus glabris pallidis apice obtusis ciliatulis fructiferis dorso valdè spongioso-incrassatis albis, ligulis intensè flavis concoloribus involuero sesquilongioribus.

Hab. in umbrosis Palæstinæ, in *Carmelo*, monte *Ithabure*, prov. *Samariá*. Legi Apr. et Maio.

Planta 4-4 $\frac{1}{2}$ pedalis, folia inferiora cum petiolo 7-8 poll. longa, segmentum terminale 3-3 $\frac{1}{2}$ poll. longum 2 et ampliùs latum, segmenta lateralia utrinquè 2-3 a superioribus 6-8 lin. longis obtusis ovato-oblongis ad inferiora triangularia acuta diminuta, capitula illis *Cr. biennis* paulò minora, involucri fructif. 6-7 lin. longum. Achenia radii 4 lin. circ. longa alis utrinquè semini compresso æquilatis, disci 3 $\frac{1}{2}$ lin. longa angustissima pappo 2 lin. longo superata.